



Q. D. B. V.

6a

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIPĒ, AC  
DOMINO,  
**DN. FRIDERICO AVGVSTO,**  
PRINCIPĒ REGIO, ATQVE ELECT. SAX. HEREDE,  
ETC. ETC. ETC.  
POSTERIOR EM

DE  
**SACRIS**  
**MVLHVSINIS**

DISSERTATIONEM

P R A E S E S,

**M. CHRISTIANVS GVILLELMVS**  
**VOLLANDVS,**

ET RESPONDENS,

**IOANNES MARTINV S AKIVS,**  
MVLHVSINI,

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SVBMITTENT,

IN AVDITORIO MINORI,  
IPSIS IDIBVS MARTIIS,  
ANNO A. O. R. c15 Iccccc IIII.  
HORIS POMERIDIANIS.

---

VITEMBERGAE,  
LITERIS MEYERIANIS.

RECHTGEWE MAGNIFICENTIAE  
TRIENIUS MOLARENATIS LUDVICVS AC  
DOMINVS  
DN FRIDERICVS AVGUSTVS  
SAGRIS  
MVLHISINI  
CHRISTIANVS GALLERIUS  
LOTHUNDAS  
JOANNES MARTINVS ARDAS  
LITERIS HENRICVS

DISSERT. II. DE SACRIS MULHUSINIS. 3

§. I.



N priori Dissertatione de Vrbis patriae SACRIS, quum pontificiis studeret partibus, et Romanorum Antistitum auctoritate in hac causa niteretur, actum est, ut opinor, satis: nunc ad cetera pergendum, et quo pacto immutata, ac tandem sublata, et a D. Luthero instaurata, atque in nostratem Vrbem, eiusque tractum introducta fuerint, ulterius persequendum, eodemque ordine commemorandum.

§. II. Primordia igitur conuersonis Sacrorum, quae apud nos antea uigebant, refero ad seculum post C.N. sextum decimum, eiusque annum uicesimum tertium et quartum, quo tempore fugitiuus iste homo, *Feifferus*, atque insignis fanaticus, *Munzerus*, Mulhusam se receperunt, et contra Clerum Romanum, quem omni conuiciorum genere consectabantur, acerrimos sermones habuerunt. Qui peruersi doctores multitudini perplacuerunt, propterea, quod in *monachos et moniales*, qui malis moribus, ac licentia omnium ferme odium atque indignationem fibi concitauerant, acerba multa dicebant, ac uulgum speciosi libertatis titulo, et nomine salutaris doctrinae callide usurpato, maximo-pere fibi conciliabant, obnoxiumque reddebat.

A. cl. I.  
XXIII. et  
XXIV.

§. III. Quoniam uero haec talia alibi \*iam a me exposita sunt, diutius immorari iisdem hac uice non licet. Neque illi soli fuerunt, qui Romanos ritus impugnarunt, quum plures odium atque inuidiam sacri ordinis hominibus apud populum conflarent. Quos inter praecipui extiterunt *M. Hildebrandus*, et *Matthaeus Oldislebiensis monachus*, qui uehementissimis uerbis in

DISSERTATIO III.

4. eos inuehebantur, atque infensissimos antiqui moris hostes se se profitebantur.

\* In Dissertatione de Mulibusae Originibus, etc. nuper admodum in lucem emissā, ad quam lectorem remittendum puto. Ibi enim omnia, quae huic spectant, copiose enarrantur, sigillatim §. XLIII. seqq.

§. IIII. Quorum turbulentis concionibus ita com-  
A. c. l. l. mota est multitudo, ut in perniciem Romanorum sa-  
XXIII. cerdotum ac monachorum iurasse uideretur. Enim uero  
XIII. Kal. media nocte in superioris Vrbis foro congregata est, in-  
Jul. gentemque ciuibus pariter, et sacri ordinis uiris iniecit  
metum, quum nonnulli ex turba in domus sacerdotum  
ac ciuium quorundam, quos nomine appellabant, et a  
quibus laefos se esse arbitrabantur, irruptionem factu-  
ros, atque eos ipsos una interfecturos, subinde clama-  
rent. Quo uehementer territi sunt illi, adeo, ut plurimi,  
quibus uitiae salus curae erat, de fuga mature capeſſen-  
da confilii rationem inirent. Quapropter altera statim  
die ex Vrbe excesserunt, neque prius in eandem, quam  
a Principibus in ditionem acciperet, redire uolue-  
runt.

§. V. Paucis uero interiectis diebus furor eorum  
ac rabies ita creuit, ut iam non in minis acquiescerent,  
sed pulso, instinctu monaci Oldislebiensis, in fano D. Ia-  
obi, aere Campano, magna frequentia conuenirent,  
atque sacerdotum Ordinis Teutonici domicilia, mona-  
steria quoque, et Virginum Vestalium receptacula tur-  
matim pterent, eademque crudeli modo uastarent,  
ac diriperent, fornacibus ac fenestrīs undique e-  
uerfis, expulsisque. \* Quae res auctoritate Magistratus  
sedari non poterat, quum hic in partes non diuideretur  
modo, sed etiam plerique eorum essent, qui sacerdotes  
ac monachos talia promeruisse, neque ad se eam rem  
pertinet.

pertinere, hanc obscure significabant. Illi enim leui saepe de causa dira fulmina uibrare, iisque in populum fœuire, ac bona eius *Indulgentiarum* negotiatione ad se trahere solebant.

\* *Immo hoc non omittendum est, quod feminæ nostræ ac uirgines in infestandis sacri ordinis hominibus uris non minores gerere se soluerunt. Per multæ enim sacerdotem quendam in Templo D. Blasii sacris operantem, furentium instar aggressæ, atque ex fano D. Kiliani fugientem usque ad Aedem Blasianam, quæ certe inter ualio satis amplio se inuicem distant, strenue inseguuntæ sunt, ut tanto se periculo subducere uix posset. Quo dilapo, domum eius perierunt, omniaque, quæ in manus uenienti, absterunt. Accidit haec res A. cl. Is. XXIII. V. Kal. Ian. qui in Fafis inscribitur Ioanni Euangelistæ. Quorsum legi merentur Acta MSC. ad A.e.*

§. VI. Posthaec, instante atque urgente multitidine, ut propagandæ *Euangelii* doctrinae liberior pateret locus, tutiorem Senatus ingredi uiam, quam furioso uelut populo diutius resistere maluit, annuitque huīus postulatis, quae eo pertinebant, ut *Equites Ordinis Teutonici* de constitutis in duobus, iisque praeci-puis Ciuitatis templis, *Mariano et Blasiano*, in quibus illi sacerorum curam gerebant, immo et reliquis Aedibus, sanctiori usui dicatis, emendati ritus sacerdotibus, admonerentur: si id recusarent, id officii munerisque genus ipsos in se suscepturne esse, Magistratum inter et populum conueniebat. Tum quoque, ut sermones de *Euangelo* libere, idoneo quovis loco, haberentur, et de-nique ut *monachi* et *Virgines Vestales* e receptaculis suis egrediendi, illataque bona auferendi facultatem nan-ciserentur, ab Senatu multitudo stipulabatur.

§. VII. Igitur, mutato uitiae monasticae genere, *A. cl. Is. XXIII.*  
*Rotmeblerus et Kollerus cucullum* abiecerunt, ac matrimoni-  
nii foedus inierunt, sociumque *Ioannem Leonem*, sa-

cerdotem antea ab *Equitibus Ordinis Teutonici* creatum, nacti sunt. Ad quorum excipiendos sermones attentae ciuium erant aures, quam ad tumultuantes, quamvis non per omnia recte sentientes, se non adiungerent, neque cum Demagogis, *Pfeiffero et Munzero*, foederis societatem haberent. Horum uero asseclae templa ac *monasteria* depraedati sunt, atque insignem abstulerunt ornatum, imagines quoque et aras destruxerunt, atque, ut paucis multa complectar, barbarorum more uastarunt omnia, ac deleuerunt.

§. VIII. Verum Vrbe non multo post in Principum potestatem redacta, noui ritus sacerdotes partim ex ea eiekti, partim interempti sunt, ac Magistratus inter pacis conditiones, a viatoribus oblatas, hanc speciam seruaturum se, fidem dedit, ut *Sacra* in pristinum statum restituerentur, et antiquae ceremoniae acciperentur denuo, ac redire grarentur. Idque uehementer urgebat Saxoniae Dux, Georgius, cognomine Barbatus, cui Principes socii pacandae tuendaeque Ciuitatis curam primo anno permiserant, quiique, ut *pontificiarum* partium erat tenacissimus, omnem cogitationem adhibuit, ut *monasteria* et templa Romanis sacerdotibus redderentur.

§. VIII. Cuius mandatis morem gesturus Senatus, operam dedit, ut profugi *monachi*, atque instituti sui desertores, *Theodoricus Vesmeblerus*, *Michael Kochius*, *Ioannes Leo*, aliquie, qui aufugerant, et in occultis degabant locis, deprehensi, debitibus poenis afficerentur. Quamobrem ad uicinos Magistratus ac Principes publicas exarauit literas, in quibus, ut in custodiam traditi, in Vrbem remitterentur, sibique traderentur, postulabat. Eodem tempore Senatus noster solemniter promulgauit

uit edictum, ut *monachi* Virginesque Vestales, et ceteri religiosi ordinis uiri, qui, mutato uitae genere, matrimonia contraxerant, dato certo dierum spatio, ex Vrbe migrarent: reliqui vero ad sedes suas et *coenobia*, ex quibus pulsi fuerant, redirent, atque in iisdem ad dies uitae permanerent.

\* *Hic deinceps cum fratre Pfeifferi Erfurti captus, atque inde ad Eccardi montem, uolente ac iubente Duce Georgio, abductus, et in custodiam coniectus est, ex qua tamen prospere evasit. Tum quoque Pfeifferus, qui nullum tanta poena dignum scelus ad miserat, ex iunculis liberatus est, et dimissus.*

§. X. Neque in hoc acquieuit, sed de stabienda et confirmanda Religione *pontificia* solitus, a Paulo, Ascaloneni Antistite, petiit, ut imagines, aras ac templa ipsa, nuper uiolata, atque ab *haereticis*, ut existimabat, contaminata, repurgaret, et solemniter iterum ritu consecraret. Qui etiam, data eam in rem certa pecuniae summa, Mulhusam uenit, omniaque templo, more recepto, aqua lustrali conspergit. Versabatur enim S. P. Q. Mulhusinus in ea opinione, cultum Numinis, nisi haec causa peragerentur, exerceri recte non posse, neque sacra rite administrari.

§. XI. Posthaec Saxo Septemuir, Ioannes, Ciuitati nostrae, si doctrinam *Euangelii* amplectetur, decem aureorum millia, quam summam pro redimenda direptione ipsi debebat, condonaturum se, promisit. Senatus autem id recusauit, propterea, quod Imperatoris edictum de non tolerandis noui ritus sectatoribus, iisdemque Vrbe expellendis, iam A. clo I<sup>o</sup> XXIII. promulgatum, in manibus haberet, seruaretque. Idem quoque ad Hessiae Principem, Philippum, qui hac de causa ipse una cum coniuge Mulhusam peruererat, pronunciavit. Neque administrari illorum, qui haud multo

A. clo I<sup>o</sup>  
XXVI.

A. clo I<sup>o</sup>  
XXXI.

A. clo I<sup>o</sup>  
XXXIII.

A. clo I<sup>o</sup>  
post XXXV.

DISSERTATIO II.

8

post eadem de re cum Senatu nostro agebant, aliquid  
obtinere potuerunt, et quum nihilominus duo emen-  
datae Religionis *Theologi* ab Io. Friderico, Septemui-  
ro Saxone, et Hesso Principe Mulhusam mitterentur,  
tamen intrandi templa, sacrosque sermones in iis ha-  
bendi libertas ipsiis denegata est, sic ut Vrbe mox exce-  
dere illi necesse haberent.

A. c. I. D. §. XII. Porro Hessus, ut unicum tantummodo  
XXXVIII. in Vrbe templum *Lutheranis* daretur, instabat: sed ne-  
que in hoc consentire uoluit Senatus, fretus potissi-  
mum praefidio Georgii Saxonis, qui retinendam esse  
antiquam Religionem, omnibus modis suadebat, ac de-  
cem mille aureos, quos, ne Vrbs spoliaretur, solutu-  
rum se, receperat, eidem remittebat. Quapropter  
Consul *Sebast. Rodemannus*, emendati ritus sacerdoti-  
bus ualde infensus, Hessu liberam emendatae Reli-  
gionis, in nostrarē Vrbe exercenda, potestatem  
acrius urgente, ad Georgium profectus, et de his rebus  
conquestus est, qui mox ad generum scripsit, eumque,  
ut ab incepto desisteret, est adhortatus. Eodem hoc an-  
no Senatus Mulhusinus in societatem foederis, contra  
Protestantes initi, receptus, sanctissime se obligauit, sic  
ut illud cum uitiae bonorumque periculo seruaturum  
se, affirmaret.

A. c. I. D.  
XLII. §. XIII. Breui post Saxoniae Duce, Septemuir  
Ioannes Fridericus, et Henricus, qui fratri Georgio  
successerat, Hessiaeque Princeps, de introducenda in  
Mulhusinam Vrbem Religione summis uiribus labo-  
rarunt, sed nihil effecerunt, Senatu ad Caesaris uolun-  
tatem prouocante, et in sua sententia firmiter perseue-  
rante. Quin immo Gandersheimium ad *Prouinciam*  
*monachorum* scripsit, ab eoque efflagitauit uirum, qui  
Mulhusam missus, Sacris in Ciuitate praeficeretur. In  
qui-

quibusdam tamen pagis, quamlibet renitente Magistratu, religiosi homines, qui emendatam rusticos docerent Religionem, constituti sunt, cura et auctoritate Eberhardi Tannii, et Iusti Menii, quos Septemuir et Dux Saxoniae eam ad rem ablegauerant, ut antiquos ritus abrogarent.

§. XIII. Tandem uero Septemuir Saxo et Hessus, ualidissimo exercitu, quo Guelpherbytum expugnauerant, instructi, ab Senatu nostro, ut ritus Romani coetus missos faceret, neque doctrinae Euangelii obsisteret amplius, impetrarunt. Itaque Principes hi Consiliarios ac *Theologos*, Fridericum Vangenheimium, Iustum Menium, \* Valentimum Doellium, M. Iustum Vinterum, et Ioannem Leningium, Mulhusam delegarunt, qui de Ciuitate nostra, purioribus sacris imbuenda, praeclare meruerunt. Illorum enim opera monachorum ac monialium aedes occlusae sunt, ornatu cuncto et pretiosis rebus Senatui traditis, ac demandatis. Et potiora quidem Vrbis templa, *Marianum* et *Blasianum*, quatuor suscepereunt uiros, morum uitaeque sanctimonia conspicuos, I. Menium, Seuerinum Seuerum, M. Io. Hellerum, et M. Io. Henningium, partim a Septemuiro, partim ab Hessio missos, quibus cura sacerorum commissa fuit. Denique de constituendo cuiilibet facri ordinis homini stipendio cogitatum est, eaque res cum Senatu communicata, qui refragari non ausus, in omnibus consentiendum duxit.

\* *Hic primam concionem, de salutari doctrina habitam, edidit, et in Templo Mariae ad populum urba fecit.*

§. XV. Illi igitur doctores, quod sui muneris erat, integra fide praestiterunt, ac de Ciuium salute dies noctesque solliciti fuerunt. Quod hostis humani generis ferre non potuit, sed uariis artibus sanctissimos uiros lacefendos curauit. Vnus enim e Consulibus, *Ioannes Vetticius*, qui Romanae Ecclesiae ritibus addictior, ac *Lutheranus* infensor erat, multo mero grauis, emendati ritus sacerdotes, quos per contemptum *Praedicantes* \* uocabat, omnis

B gene-

A. cl. I.  
XLII.

A. cl. I.  
XLIII.

generis ignominia notauit, illorumque doctrinam, et servatorum integre *Mysteriorum* diuinorum administracionem indignis conuitiis lacesciuit, neque uxorum ac liberosrum honori pepert. Accusatus uero a Iusto Menio, aliisque religiosis uiris, omnia coram Magistratu negabat, et eorum, quae obliuicentur, se prorsus esse ignarum respondebat. Idcirco res haec defertur ad Principum Consiliarios, in Vrbe commorantes, qui ascitis ex senatorio ordine uiris, sententiam dixerunt, ut pro concione, praesente et audiente omni populo, illatam sacerdotibus iniuriam publice deprecandam curaret: tum quoque sacerdotes, ut ueniam calumniarum sibi facerent, in conspectu Consiliariorum et Magistratus Vrbis ipse rogaret: et denique centum aureis aerarium sacrum locupletaret. Quibus confessis, munere, ut uoluit, priuatus fuit.

\* Atque horum nomen adeo innidiosum erat, ut protalibus, qui ignomina notati essent, uulgo haberentur. Enim uero ex hac causa lanifices, quorum numerus in nostrate Vrbe semper fuit frequenissimus, nouritius sacerdotibus item mouerunt, neque filium Henrici Schelii in tribum recipere uoluerunt, propterea quod a sacri ordinis uiro, cui uxorem ducere non licet, procreatus esset. Tandem uero, quum id aliter fieri non posse, uidebant, eundem suscepserunt. Quam in rem legendum est Chron. nostrum MSC. quod saepe laudauit, ad A. Cbr. c10 l7 XLIII.

A. c13 l5 §. XVI. Interea, uicto ad Mulbergam Saxone Se-  
XLVII. ptemuiro, Imperatoris iussu, sacra haec emendata rursus antiquata sunt, motis dignitate Lutheranis, et Pontificiis in istorum locum suffectis. Dimissus quoque est cum ceteris ritus emendati sacerdotibus Sebastianus Boe-  
A. c13 l9 tbinius, \* qui haud ita pridem Vitemberga, Mulhu-  
XLVIII. fam, ut sacris ibi operam daret, ablegatus erat. Quo fa-  
cto librum de obseruanda tantisper, dum Concilium ge-  
nerale institueretur, Religione, qui INTERIM uulgo di-  
citur, Vrbachius, qui Ciuitatis nomine in Comitiis Augu-  
stanis tractabat, secum attulit, eudemque Senatus no-  
ster,

DE SACRIS MULHVSINIS.

II

ster, auctore Rodemanno Consule, approbavit. Hic enim in omnibus ad Caesaris uoluntatem se conformauit, et ut Virgines Vestales claustris denuo includerentur, efficit.

\* Ille enim ad suscipiendum Antistitis munus A. c. l. L. XLIII. ad nos vocatus est, quod multa industria ac fide administravit. Quo legendus est Joannes Bangius in Chron. Turing. ad b. A.

§. XVII. .Accidit tamen, ut Nicolaus Kroeten-schmidius Naumburgo Mulhusam ueniret, et nomine Ioannis, gente Goermari, Prouincialis Commendatoris Tu-ringiae, de unico tantum templo, emendati ritus aseclis in Vrbe concedendo, cum Magistratu Mulhusino ageret, quod etiam, quamuis superiori anno eius repulsam tulisset, hac uice obtinuit, dataque est iis Aedes D. Blasii, in qua primum ad populum sermonem instituit L. Henricus Sal-muthus, et tamdiu in Vrbe commoratus est, donec M. Hieronymus Tilesius, sacrorum ibi Antistes constituere-tur.

A. c. l. L.  
LVI. et  
LVII.

§. XVIII. In reliquis uero templis omnibus ac mo-nasteriis Romana sacra celebrata sunt, quum plerique e proceribus antiquis ritibus ac ceremoniis constanter adhaererent, nec ab iisdem se dimoueri, facile paterentur. Interim complures non ciuium modo, sed et senatorii or-dinis uirorum, instauratam amplexi erant Religionem, qui, inuitis ac repugnantibus proceribus, sedulam curam adhibuerunt, ut incolae ad salutem recte diligenterque in-stituerentur.

A. c. l. L.  
LVIII.

§. XVIII. Postea Prouincialis Commendator ipse, qui de emendatis Mulhusae sacris optime meritus est, Jo. Goer-marus, in Vrbem uenit, et Senatum, ut omnia tempa-e mendati ritus hominibus instrueret, etiam atque etiam ro-gauit, eamque in rem bona, \*ad Equites Ordinis Teutonici pertinentia, quibus sacri ordinis uiri sustentari possent, Ma-gistratu nostro se traditurum significauit. Quod licet plu-

B 2

rimi



## DISSERTATIO II.

rimi suaderent, praecipui, tamen, qui a partibus Pontificiorum stabant, uehementius resisterunt, atque omnes, quae offerebantur, pollicitationes reiecerunt.

\* Tandem uero omnia haec bona, facta cum Equitibus pactione, emit  
Senatus, illique omni se iure abdicarunt.

**III. Id. Jun.** Videps autem eorum pertinaciam Goermanus, quod precibus consequi non potuit, ui exequendum, duxit. Templum enim Marianum, quod in Pontificiorum potestate erat, quum ad sacra mane conuenirent, occupauit, eiusque curam Lutheranis demandauit. \* Quo facto uehementer gauis sunt plurimi ciuium, qui emendatis sacris dediti, hoc dudum optabant, quamuis pontificii ritus sectatores id aegre ferrent. Salarium uero Sacri ordinis uiris ex bonis, quae ad Ordinem Teutonicum spectabant, curante Goermaro, assignari coeptum, Georgio Bonatho horum talium bonorum administratore constituto.

**VIII. Id.** \* Qui curam illam sine mora suscepserunt, et altera statim die M. Hier. Ihesus concionem habuit, in qua Parabolam de diuine belluone et paupere Lazaro argumenti loco explicantam pariter atque illas irrandam sibi sumpsi. Vid. Acta MSC. ad A. c. 12 l. LVIII.

**Id. Jun.** §. XXI. Inter ea Pontificii, amissio Templo B. M. V. sacra in fano, ad Franciscanos pertinente, instituere, et eodem, quo antea modo in Aedibus Mariae et Blasii solebant, omnes ceremonias procurare coeperunt. Verum et hoc templum aliquanto post a monachis desertum fuit, quippe qui metu Colloquii, ipsos inter et Protestantes de Religione habendi, ex Urbe, traditis Magistratui clauibus, discesserunt.

\* Quibus rebus Romani ritus cessabant, et emendata sacra omnibus in locis usurpabantur.

\* Meminit quoque huius rei Pfefferkornius, de Rebus Turing. c. XXV. p. 290. qui tamen in eo lapsus est, quod scripsit, D. VIII. Idibus Ianuarii in templo Urbis hymnum cani: Cecidit Babylon magna etc. quum in suggesto solum sacro ea historia populo praetegeretur, Deo-que O. M. debitate hoc nomine gratiae persoluantur. Add. Binhardus l. c. ad b. A.

§. XXII.



§. XXII. Abrogato igitur publico apud nos pontificii ritus cultu, creuit, et prospero successu confirmata est pura Religio, ciuesque etiam reliqui, in tenebris et caligine permanentes, ad emendata a D. Luthero sacra sensim accesserunt. Atque in hac Religione ciuitas firma ac constans perseuerauit, et ad nostra usque tempora continenter eandem fuet, ac tuerit.

§. XXIII. Illa autem patriae nostrae praecipua est felicitas, ac magnum immortalis DEI beneficium, quod absque ullis impedimentis instaurata sacra retinet, et sarta testa conseruat. Nullum enim Vrbis ciuem et ditionis nostrae incolam, Romano Pontifici obnoxium, aut Reformatis coniunctum, facile reperiamus, qui Ciuitatis iure perfruatur. Quodsi uero Pontifex in Ciuitatem ascribi uelit, Religionem pristinam mutare necesse habet. Tum uero ciuis Mulhusinus uxorem, alienis sacris assuetam, ducere non potest, nisi ante nuptias nostratribus sacris eruditatur, quod comprobant Constitutiones nostrae Ecclesiasticae,\* quae uix aliud, nisi grauissimae rationes diuersum suadent, permittunt.

\* Quae constitutiones ideo factae et promulgatae sunt, ut sacrorum confusio, ceteroquin metuenda, uitaretur, quam uicinos uriusque Religionis, Catholicos et Reformatos habeamus, illorumque sagillatim Eichsfeldensem, in Ciuitate ac pagis nostratribus permulti degant, et ad seruitia conducti se patientur.

§. XXIII. Aliae equidem Ciuitates ac prouinciae uarias Religiones admittunt, et in parte felicitatis ponunt, utilitatis sue rationem habentes. Apud nos una et simplex Religionis doctrina uiget, et una mente animoque preceptionum formulae instituuntur, dissensionum occasionses ac causae praeciduntur, et uita moresque idonea sacri coetus disciplina reguntur, annitentibus et incumbentibus Theologis, doctrina exultis, et sanctitate egregiis, ut emendata sacrorum disciplina a corruptelis uindicetur. \*

\* Quo nomine non praetermittendi sunt uenerandi Ciuitatis nostrae Antistites, Superintendentes appellati, qui post receptos ritus emendatos apud nos olim floruerunt. Nominatum uero praeter Iussum Millennium, et M. Sebäst. Boethium, qui supra memorati sunt, arduo hoc munere functi sunt M. Hieronymus Tilesius, Antistes anteq. Deliciensis, D. Ioannes Stoesselius, a Septenuiro Saxone nostris commendatus, qui postea ab statione sua iussu Saxonis, rursus discessit, et Pirnae in desperatione uitam finit: post hinc M. Ioannes Petreius, Zuicciensis, M. Sebastianus Starkius, Creussenfis, M. Ludouicus Helmboldus, Mulhusinus, M. Henricus Gallus Mulb. M. Benjaminus Starkius, Mulb.

## DISSERTATIO II.

*M. Andreas Cramerus, Magdeburgensis, M. Liborius Gallus, Mulb.  
M. Casparus Mehlbachius, Mulb. Tobias Volsus, Mulb. et denique Io-  
annes Bernardus Frohnius, Mulhusinus, qui iam in caelis triumphant,  
et de Ecclesia nostra tam praeclare meriti sunt, ut posteritas eorum  
memoriam gratia mente ueneretur, ac perpetuo in animis suis mansu-  
ra illorum monimenta relinquat.*

§. XXV. Hodie curam sacris nostris adhibent Viri, doctrinae  
praestantia, et rectis uitiae exemplis maxime conspicui, D. IOANNES  
ADOLPHVS FROHNIUS, Antistes summa ueneratione prosequen-  
dus, et de coetu diuiniori immortaliter meritus, qui me sibi multis  
modis, praesertim institutione liberali et fidel, admodum deuinxit; et D.  
GEORG. CHRIST. EILMARVS, nomine tituloque *Paforus* mul-  
tam famam et dignitatem adeptus, de cuius insigni benevolentia erga  
me, et meo auspicio disputantem, magnopere mihi gratulor, et nun-  
quam conticesco. Praeter hos in nostrate Vrbe Viri perquam reue-  
rendi, *M. Christianus Scribonius*, in Aede Mariae, et *Christophorus Ioh-  
nias*, in Fano Blasii, sacris, Diaconorum munere, funguntur. In Sub-  
urbiis uero *Paforum* nomine constituti sunt Viri admodum reueren-  
di, *Beniaminus Eisenhardus*, in Templis *DD. Nicolai* et *Petri*, et *Tobias*  
*Gottfridus Bakmeisterus*, in Aedibus *Georgii* et *Martini*, sacris in Vrbe  
extra ordinem administrantis admoto *Badero*.

§. XXVI. Neque reticendi sunt Viri admodum reuerendi et  
clarissimi, quibus cura sacrorum in Pagis ditionis nostrae est deman-  
data. Speciatim uero Goermarae *Fidericus Eisenhardus*, Eigenrodae  
*Adamus Trabandus*, Bolstadii *Gottfridus Focrerus*, Horsmariae *Ioan-  
nes Guilelmus Vollandus*, Parenz meus per dilectus, Doernae et Hollen-  
bachii *Ernestus Fidericus Binkebankius*, Dachridae *Andreas Schmidius*,  
Soltadii et Eigentrodae *Ioannes Georgius Vokerodius*, Grabenae *M.  
Beniaminus Schollius*, Lengefeldae *M. Augustus Scribonius*, Ammarae  
*Andreas Stirius*, Felchtae *Ioannes Bernardus Frohnius*, Keylerhagae et  
Riserae *Christianus Haserodius*, Hoengedae *Georgius Andreas Star-  
kius*, Vindebergae denique et Salfeldiae *Ioannes Georgius Sichardus*,  
uiuunt adhuc et uigent, sacris feliciter operantes.

§. XXVII. Tandem de *Scholis* nostrae Vrbis aliiquid addendum  
est, *Gymnasiumque*, quod literarum studiis apud nos floret, et *VIII.*  
*Classibus* distinguitur, paucis describendum restat. Inchoata autem  
est *Schola A.* c. Is XLII, atque emendatis sacris constituta et *Luthe-  
rana*, operam eo, Saxonis et Hessi auspicio, conferente Iusto Menio,  
atque aliis, in coequa primas Rectoris partes suscepit, *M. Hieronymus  
Volsus*, patria Oettingensis, natione Francus, vir in omni doctrinae  
gene-

generi uersatus, et multam eruditio[n]is laudem in literato orbe consequutus. Verum id non multo tempore interiecto esse desit, praesertim, quum Protestantium sacra, Caesaris editio prohibita, abrogarentur. Quibus iterum sublati denuo institutus est ludus in Urbe inferiori ad Aedem Blasianam, cura et studio Antistitis Tileſi, et publice introductus, M. Donato Groſſo, Oschazensi, eiusdem Rectore designato. Postea de commodiori loco consultari coepimus, eiusque fides in media Urbe ad Templum Crucis electa, et consequentibus annis statim haec Schola, titulo Gymnasi celebris, inaugurata. Quod accidit A. clo 15 LXXX. D. VI. Kal. Iun. quem in singulos annos nostrates celebrant, tantum Numinis beneficium in memoriam reuocantes.\*

A. clo 15  
XLVII.

\* Eam ad rem legendi sunt Binhardus l. c. et Matthaeus Dresserus,  
Part. V. Isagog. His. V. Mulhusae.

A. clo 15  
LXIII.

A. clo 15  
LXXVIII.

§. XXVIII. Interea non alienum foret, Rectorum inferre mentionem, qui humanioribus literis, et artibus, liberalibusque disciplinis inuentum in patria erudierunt, et ad nostram usque aetatem uixerunt ibidem, ac decesserunt. Idcirco eorum nomina, sicut ad me peruererunt, suppeditabo, et cum lectori communicabo.\*

\* Et post solemnum quidem illam Inaugurationem, A. clo 15 XXXC. per aetiam, Recloris munere functi sunt, Ioannes Regius, Gedanensis, Ioannes Becherus, Mulhusinus, Christianus Bechmannius, Bernas, M. Andreas Hampischius, Mulbergen[s]is, M. Georgius Andreas Fabricius, Bauarus, Tobias Volfius, Mulhusinus, M. Andreas Schulzius, Mulhusinus, Ioannes Gisbertus, Ienen[s]is, M. Christophorus Scribonius, Mulhusinus, Bernardus Knorrius, Mulhusinus, postea in Senatorum ordinem cooptatus, et adhuc dum Senatus Interiores membrum, vir multo meritus, ac pariae salutis amantissimus, et denique L. Beniaminus Scharfus, qui postea Sonderbusam abiit,

Comitis Suarzburgii, nunc Principis, Archiater declaratus.

§. XXVIII. His autem temporibus in Gymnasio nostro docendi prouincia demandata est Viris, humanitatis non vulgariter peritis, atque uaria doctrina probe excultis, nominatim M. Gregorio Fritschero, Rectori, M. Seuerino Kreisigio, Correctori, ex quorum disciplina insignem cepimus utilitatem, M. Ioanni Henrico Knorrio, Clashi II. praefecto, uulgo Subcorrectori, Ioanni Adamo Thonio, qui Classi III. praefectus, praeceptor noster optime meritus, cui maiorem in modum obstricti sumus, Hermanno Hieronymo Ebrio, qui me recta institutione maximopere sibi obligauit, Collegae IIII. Ioanni Bernardo Stirio, Collegae V. Georgio Friderico Lehmannio, Collegae VI. Christophoro

## 16 DISSERT. II. DE SACRIS MVLHVSINIS.

*phoro Hopfio, Collegae VII. et denique Ernesto Braunschweigero, Collegae VIII. atque ultimo, qui omnes, quod suarum partium est, diligenter curant, ac de bonis artibus quotidie magis magisque mereri student.*

§. XXX. Curam uero *Sacrorum* sibi vindicat Senatus Ecclesiasticus, qui ex tribus Senatoribus, et Antistite nostro constat. Civilis ordinis uiri tantum praesident, ita quidem, ut qui locum habet in Senatu Regentie, illo ipso anno *Praefidis* dignitatem consequatur, in quo munere secundo et tertio anno ceteri ipsi succedunt. Praeter hos curationem *Inpectionemque Sacrorum* in se suscipit Senatus Interior, qui *Collegii Seniorum* nomine antiquo more insignitur.

§. XXXI. Haec fere sunt, quae de praesenti arguento feligere, ac literis mandare uolui, adiutus potissimum ope atque consilio celeberrimi, meique amantissimi *Theologi D.EILMARI*, qui multam industriam impendit, et in describendis, atque ex *tribunali* nostro colligendis, accurateque conferendis Actorum MSC. codicibus summa cum diligentia et cura, per integras quoque hebdomadas, ipse elaborauit, ut non possim non sempiternum me hoc nomine eius reputare debitorem.

§. XXXII. Interim multa, quod diffiteri nolo, supersunt, quae pertractari hic possent, immo deberent. De Templis enim brevissime egi, nec plene perfecteque illorum historiam sum complexus. Causa in primis haec est, quod rerum istarum copia paulo serius mihi facta sit, atque extra patriam uersanti minime integrum fuerit, documenta uetera ac monumenta inspicere, seduloque omnia scrutari. Tum quoque haec talia enarrare, et prolixius perseguiri, exiguum chartae huius spatium non permittit, quod etiam, ut Dissertationi tandem finem imponam, a me efflagitate uidetur.

§. XXXIII. Quamobrem perfeuerio in pietatis affectu, et gratae erga Deum immortalem mentis significatione conquiesco, eumque toto pectore precor, ut charissimam Patriam in antiqua sua libertate non defendat modo, sed perpetua etiam felicitate augeat, atque exornet. Seruette nobis *Sacra pura*, et ab omni peruersarum opinionum labore integra, seruet nobis salutarem *Euangelii* doctrinam, seruet *Proceres*, ad quorum curam Sacra pertinent, seruet fideles, et recte sentientes Ecclesiae doctores, seruet coetum docentium ac dissentientium, seruet omnes ac singulos, eosque adversus seculi mala tuendos suscipiat, et benignus ac perlementer protegat, praesidioque suo septos custodiat munitaque.

5i 2149

ULB Halle  
002 410 087


3



56.

V218

VOMA



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



6a

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIPÆ, AC  
DOMINO,  
**DN. FRIDERICO AVGVSTO,**  
PRINCIPÆ REGIO, ATQVE ELECT. SAX. HEREDE,  
ETC. ETC. ETC.  
POSTERIOREM

DE  
**SACRIS  
MVLHVSINIS**

DISSERTATIONEM  
PRAESES,

**M. CHRISTIANVS GVILLELMVS  
VOLLANDVS,**

ET RESPONDENS,  
**IOANNES MARTINV S AKIVS,**  
MVLHVSINI,  
PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SVBMITTENT,  
IN AUDITORIO MINORI,  
IPSIS IDIBVS MARTIIS,  
ANNO A. O. R. cIɔ Icc IIII.  
HORIS POMERIDIANIS.

---

VITEMBERGAE,  
LITERIS MEYERIANIS.